



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De nocumento dubio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Matutino tempore respondentes persolvere, nec obligetur mane, ex probabili sententia Vesperas & Completorium recitare, praeveniendo tempus; nihilominus, si mane imbecillis existat, timeatque sibi recitationem, à toto officio absolutè, ut ex dictis patet, excusabitur.

Hinc luscus, & quicumque ex oculis laborat, timet videndi vim ex legendo paulatim deperdere, Horas Canonicas ne legat.

14. Quid si hic luscus, vel ille valetudinarius legat voluntarie fabulas, vel historias, omittit autem Officium, peccabitne; Respondeo non peccaturum contra obligationem recitandi Officium; ita utque Sanch. apud Pelliz. tom. 1. tr. 5. c. 8. n. 166. quia ab illo jam excusatur, sicuti non peccat contra præceptum jejuniij, qui ex infirmitate commedit carnes, sed ex gula concupiscentia commedit pisces. Verum, quemadmodum hic peccat contra charitatem in se ipsum, si multum ei nocent pisces, ita peccaturum non ambigo illum, qui fabulas cum famitatis detrimento legit: quod, tamen detrimentum saltem notabile raro evenit, quia hisce Lectionibus, quantum est ex hoc capite, recreatur animus, non multum opprimitur.

Quarta difficultas.

De nocimento dubio. Remissivè.

15. Quid faciendum, quando omnibus pensatis tu, vel etiam Medicus accipite remanetis, an sit allatura notabile nocimento horarum persolutio? Resp. de hac re dictum esse satis sup. lib. 1. c. 3. §. 7. v. Hor. Canon. n. 2.

Gravis Occupatio.

16. Ut occupatio superveniens ab recitando excuset, gravissimè, ac necessaria debet? gravis, inquam, sive in re pertinente ad animæ salutem, sic etiam ad honorem, vitam, fortunam: ita Suar. Vasq. Laym. aliique apud Bon. mox citandum.

Ex hoc ergo capite excusantur communiter recitaturi publicam Lectionem in concursu ad Cathedram, vel ad Doctoris lauream acquirendam; Item concionatores, atque Confessarii, quando nec concionem, nec confessionem sine nota vel scandalo queunt omittere, nec simul cum illis Officium persolvere. Sed quid erit in magna frequentia confessionum exposcentium? Karissimè hanc solam excusationem admitto, quia ex una parte facile potest differri in alium diem aliquorum confessio (nisi fortè non posset in magno lubio, ubi pauci essent Confessarii) & ex alia parte congrua est unius, vel alterius Horæ vacatio à confessionibus, ut quod Orationi debetur, exsolvatur.

17. Illud admitto libens, si quis bona fide Officium remississet ad finem diei, ad unam vel alteram scilicet horam ante mediam noctem, & ad Confessionem, vel Communionem, vel etiam Extremam-Vinctionem moribundo conferendam, advocaretur, admitto, inquam, si ad unumque, id est, ad Officium, & talia Sacramenta ministranda tempus non superat, posse Officium negligere, & ad morientem evolare, etiamsi non sit Parochus tunc enim elæcet clara necessitas, quæ certè non est in vulgaribus Confessionibus, vel Communionibus.

18. Sacerdoti pauperi tum demum hanc excusationem indulgerem, quando extrema, vel etiam gravis necessitas victum quærendi, ita illum opprimeret, ut nequiret vitæ necessaria invenire, & Officium persolvere. Sed quando Sacerdotibus patrimonio communiter fruentibus tam acerba fors necessitatis?

19. Audi hic, amice Lectori, faciem casum, non tamen facilis solutionis: Remisit bona fide quidam Parochus gravibus dissentis per diem negotiis, recitationem horarum parvarum simul cum Vesperis & Completorio in ultimam horam ante mediam noctem; fortè autem erat dies Iovis, quando reversus domum incenatus,

voluit hac intentione cibo se reficere, ut absoluta per diem horam, Officium recitaret alia media hora, quæ ante mediam diei sequentis jam superflua erat. Vix sedit ad mensam, cum vocatur ad audiendam confessionem ejusdem fortè graviter de nocte in subita rixa vulnerari. Adolat, audit ritè confessionem, domumque redit, sub eam temporis angustiam, ut semel horula, quæ supererat ante noctem intempestam non sufficeret ad utrumque, quod ipsi erat præstandum, nempe ad cenandum, & certè cum carnibus (impediente enim die Veneris expirabat dies Iovis) & ad Officium persolvendum. Quid ergo faciet Parochus, præsertim volens die sequenti sacrificium ritè jejunus celebrare?

Si de consilio hic ageretur facile isti hoc consilium daret, ut jejunus & incenatus horas aliàs solito, Deo gratias persolveret: sed de obligatione agimus, non de consilio. Obstringamne hunc jejunare nolentem? Ius cenandi, quo homo fame, & negotiis oppressus gaudet, dixerimne necessitatem levem, an potius gravem? Deinde. Quid melius, recitatio Hæc officij; an sacrificium diei sequentis, quod omittit abque dubio deberet Parochus, si propter recitationem comedere ante mediam noctem non posset; facile enim comederet, si non carnes, certè pisces post mediam noctem, ac propterea ad sacrificium peragendum ineptus erit. Hæc & familia expendet, & pueri cum decemito: ergo ad utiliora progredior.

20. Si gravem occupationem (idem dic de quolibet alio impedimento) manè, verbi gratia, prævideas, obligaberis sine Officium prævenire, & totum manè recitare.

Respondeo ita, cum Suar. tom. 2. de rel. lib. 4. de Hor. Can. c. 28. n. 28. & 36. Azor. p. lib. 10. c. 13. q. 15. Bonac. disp. 1. de Hor. Can. q. 5. p. 2. 2. aliisque ab eodem relatis; quia præceptum de officio peccando non urget solum suis correspondentibus horis, sed toto die: est enim unicum præceptum totius diei. Quoniam ergo toto die, atque ad eam in qualibet ejus parte urget præceptum, obligaberis manè, si serò non potes, vel serò, si non potes manè: sicut qui prævidet die festo, se non posse adesse Sacro circa meridiem, posse autem manè, adesse obligabitur, & contra, ut à nobis dictum est, in opus de comm. c. 4. §. 4. n. 39.

Scio primo Emanuèlem Sà v. Hor. Can. num. 1. in gemina impressione (nam in expurgata expunctum est) sic habere: Nec reatur ad Horas qui urgente negotio est impeditus, huic enim sufficit recitare horas temporis non impediti.

Scio item secundo nonnullos, ut Henriquez, Sanchez, Dianam apud Pellizzar. tom. 1. trach. 3. c. 5. n. 119. uti distinctione, & velle te obligari quidem ad prævenendum, impedimentum est à te voluntariè apponendum, non verò si tibi sit involuntarium: unde laboratus à meridie febris quartana non obligatur (inquiunt) manè, etiamsi bene valeat recitare Vesperas & Completorium, quia hoc impedimentum involuntarium est: at iter acturus obligatur, quia iter est impedimentum voluntarium: Scio, inquam, hæc, sed certè hoc posterius dictum, ejusque distinctionem video esse probabilem, id quod ego supra admisi num. 13. ex Pellizzario: At illud prius propter rationem modò à nobis allatam, admittere non possum.

21. Nec obstat Officium esse dictum per diversas horas, id enim factum est propter significationem, non verò propter obligationem, quasi partis Officij recitatio sit addita uni horæ. Si enim ita esset, transacta illa hora non obligaretur quis partem Officij illi horæ respondentem recitare, sicuti transacta die Dominica, non obligamur amplius Missæ interesse, quod nullus dixit. Quæ ratione non possit quis nunc suscipere voluntarium impedimentum, quo prævidet se impediendum à crastina recitatione officij, & habes apud Bonacin. loco citato, & nos universim de hoc egimus in opus de Sacrif. Missæ, lib. 3. cap. 6. §. 2. & iterum infra lib. 4. cap. 2. §. 2. à num. 5. cum de Auditione Sacri.